

fratres prosequimur amore ac veneratione commoti, summopere desideramus optima qua fieri possit ratione providere, ne inopiae afflictione urgeantur, neque adhuc temporali sollicitudini premantur; sed ea cuncta praestare, quibus senectuti solamen afferatur vel morbo citius releventur.

Statuimus igitur ac decernimus, ut in singulis nostris dioecesibus Episcopi, inito prius cum clero suo concilio, quamprimum constituent modos mediaque opportuna, quibus subsidia ad decentem illorum sacerdotum sustentationem elargienda praesto habeantur. Quem in finem ab Episcopo aerarium vel gaza instituitur, imposita taxa singulis paroeciis, quae opportuna videbitur. Huic pecuniae juxta normas clare definitas administrandae commissio presbyterorum, iuso Episcopo praeside, praeponatur.

« Si quis vero Episcopus, ob frequentes ad populum de pecunia appellationes, hanc novam taxam imponendam non esse judicaverit, ab aequi itatis ac justitiae tramite alienum non erit, taxam annuam ipsismet dioecesis sacerdotibus imponere, qua singuli pro rata salarii pecuniam contribuant.

« Modus alius praedictae necessitati prospiciendi in eo est, ut societas mutui subsidii inter presbyteros constituatur, quae societas aerarii seu pecuniae congestae administrationem, item Episcopo praeside, curavit. Huic societati unusquisque sacerdos dioecesi adscriptus nomen dare urgeatur. » (Acta et Decreta Conc. Plen. Balt., 111, Tit. 11, n. 71, p. 36).